



# 25 juristische Abhandlungen.

Wa 36(2)Q

- 1) de blasphemia pars prior. 2.) de poena concubitus a personis per diocesum locum commissori. 3) de reverere illicita ejusque correctione. 4) de prima instantia camerae (Möditz) ista relationibus judicium (Thott). 6) de jure alchymiae (Zena) 7) de bigamiae criminis (Köthen). 8) Thonatii de tortura ex foris christianorum proscriptibenda (Halle). 9) de amore venenato Graenide Simonis. 10) de homicidio - zu Art. 148 der p. H.C.O. Kartell (Würzburg) Mit monopoliis dico. in pragmat. Imp. C. sanctionem. (Göttingen) 12) contra incendiorum pericula (Zena). 13) ad legem Aquilam de coacervatis ne- dicorum erroribus (Lauterbach - de Biffignantis). 14) Von bau- fälligen Häusern (Zena). 15) Nach, Vorschlag zur Verminderung der Bettelwesen. (Rothenburg v. Tauber 1798.) 16) de stipendio et officiis. (Zea) 17) de occatione, conceptione, intentione constitutionis criminalis Cartoline. (Halle) 18) de criminis magiae (Halle 1790) 19) de legitimo juris, aggraciandi, utri principiis (Würzburg)

Wa. 36.

20) de jure circa pharmacopelia civitatis. (Halle  
Grundzügen über die Einrichtung eines Criminalegioris  
21) de confessione qualificata (Göttingen). 22) de poen  
post suspicione. (Halle 12) De infantiorum impunibili  
gnostice (Vitembergiae). 23) Peinlicher Gesetzbuch der  
untheilbaren Republik.

Wd.


Wd. 36.



Q  
e  
ni.  
te  
m  
le  
co.  
ra  
ue.  
ter  
en.  
re  
so)



25. Heyndryck



SPECIMEN ACADEMICVM

13

CONTINENS

I D E A S

A D

FACILITANDA EMENDANDAQVE

CONAMINA CONTRA

INCENDIORVM PERICVL

AVCTORE

D. HENRICO IVLIO ZIMMER

BRVNNOVICENSI

---

I E N A E

TYPIS IO. CHR. GODOFR. COEPFERDTII.



SPECIMEN FOTODRUCKS

DOKUMENTS

E D E I

AKT

LEONHARDIUS THOMAS ANDREAS

COMMISSARIUS CONSILLI

INCENDIUM HINNOVIA

EXOTICA

DE HENRICO TITELB. XIMMERM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

1831

Digitized by srujanika@gmail.com

HOC SE CERIMONIA AGREDIATUM

VIRO ILLVSTRI

ANNO MDLX

# GEORGIO MAHNER

SERENISSIMO DVCE BRUNOVICENSIS

AC LVNERVRGENSI AB EPISTOLIS

CANCELLARIAE SECRE-

TORIBVS

10124

HOC SPECIMEN ACADEMICVM

ALIO LITERATI  
OMNI QVA

GEORGINA MANNER

EXCEPTEO DABE ILLUMINACIO

AC PRAEFATIS IN LIBRIS HISTORIAS

ET HISTORIAS CIVILIA

D. D. D.

EDIDIT

A V C T O R

missioni ergo insolentes amelior  
atione non habentur.

Quae ratione illi cognoscere possunt enim  
homo, qui, quum museum res naturae mi-  
rificas continens permearet, nullo prorsus  
intuitu easdem contemplaretur. Attamen in  
vita humana plerique, nullo respectu causa-  
rum naturae ejusque effectuum, instinctum

potius sequuntur, quum sibi ipsi non consci  
diruunt atque aedificant, et placita potius  
majorum librorumque vetustissimorum se-  
ctantur, ut inde machinationem, (*Räderwerk*),  
elateres animi (*Triebfedern*), leges prohibiti-  
vas (*Hemmungskräfte*) actionum humanarum,  
multaque dei attributa, quae tamen omnia  
ex uno derivanda erant exemplari, quod  
adhuc, majoreque ejus cognitione perfectius,

6

---

possidemus, cognoscant. Vulgus inquam,  
nascitur, stupet, moritur.

Quae versata sint cogitata in animis ejusmodi virorum, qualis Leuvenhoek, Linneé, Lieberkühn, Spallanzani, Backer, Bonnet, subtilissimusque ille mentis humanae indagator, Kant, aliquie, cognoscere atque sentire optarem; quum ex hypothesis, quas antea accuratissime conferebant, novos plane invisibilis mundos microscopiorum atque telescopiorum ope letegerent, animalia, plantas, solesque notos facerent, qui per multa lecula oculis haud percipi potuerant. Creatoris commonstrant majestatem, quum in pulcherrima naturae opera, ejusdem analysi, mentem attendere docerent. Quae differentia CXCI specierum animalculorum infusoriorum, eorumque, quae in pulicum et aranearum semine observantur, quum millies millia horum animalculorum respectu magnitudinis granulo milii non aequent, ab Elephante illaque balaena, cuius Linneus meminit, quae apud promontorium san severo in vado haesit, cujusque longitudo erat pedum septuaginta et crassitudo quadraginta.

Quae differentia subtilissimi mucoris,  
qui optimis solummodo microscopiis adhibi-  
tis

tis distinguitur, aut globulorum, unde pollen florum constat, quorum multitudinem microscopium centum sexaginta millies reddit, et qui tunc tamen non majores conspicuntur, ac diameter crinis; aut germinum semeniferorum piri, quae nempe germina quadringenta millies minora sunt, quam diameter crinis, quae, inquam, differentia, comparata cum magnitudine arboris illius, cuius Adanson meminit qui octuaginta pedes in circumferentia habebat. Et quis umquam putabit, rerum nos cognoscere creatarum extremitates; vel etiam illud, quod ut cognoscatur fieri potest, quodque noti fines amplectuntur? — Quum etiam concedatur, quod numquam ad cognitionem principiorum huc usque indivisorum, principiorum, nempe primorum phlogisti, oxyci, hydrogenii, azoti, metallorum, terrarum, acidorum simus per venturi, quia sensibus nostris obviam ferri non possunt; attamen nobis restat cognitione compositionis, principiorum remotorum et proximorum, tam immemorabilium corporum, ut res humanae ab ejusdem cognitione maxima sperare possint commoda. — Cur autem cognitione scientiarum naturalium et praecipue chemices, usque ad posteriora aliquot decennia, tam tarde processerit, et alia quaedam scientia, ut logice, a multis jam

seculis inde finita sit, hoc erit in causa: quia logice in semet ipsa solummodo occupata est, scientiae autem naturales, ceu organon, in experientia sitae sunt, ideoque ad hanc acquirendam, sedulos cooperarios in magna naturae fabrica requirunt, quorum magna semper penuria erat; partim, quia analysis naturae itidem est, ac in ideas creatoris fundamentales inquirere, ideoque maximam intentionem requirit, partim quia etiam dilucidatio multarum inventionum, ad utilitatem scientiarum, possessorum commodo contraria erat. Matura tantum veram exhibit dilucidationem ad salutem rerum humanarum, eadem vel comparetur critica objectorum sensus interni, mentes nempe humanae, (philosophia) vel objectorum sensus externi, corporum (scientiae naturales sensu strictiori) illa a priori jura hominis respectu ipsius atque aliorum; haec verum commodum aut incommodum creatorum inanimatorum ad animatos determinabit. Natura solummodo dux nobis est atque magistra, eademque propinquam remotioremve materiem ad quamvis disciplinam exhibit, illius itaque dilucidatio totum illustrat.

IDEAE

metropolitanae, quae etiam ad hanc  
conaminam etiam ad alios  
incendios, quae etiam ad hanc conaminam  
etiam ad alios.

## I D E A E

### AD FACILITANDA EMENDANDAQVE CONAMINA CONTRA INCENDIO- RVM PERICVLA.

**I**nter multa vitae sociali adjuncta mala, inundationes praecipue, famis bellorumque vastationes et incendiorum pericula, conamina, quae contra incendia hucusque in usu fuerunt aut proposita sunt, tam propter eorum in comoda, incertumque eventum, quam propter nimiam saepenumero eorundem tarditatem, quum subito atque inexspectato incendia erumpantur: maxima meditatione dignissima sunt.  
— Si efficacitas conaminum ad incendia extinguenda, a priori ita determinanda esset, ut omnne prorsus empiricum removeretur, haec formula transcendentalis eandem commonstraret:

A 5

" ejus-



"ejusmodi conamina, incendio quodam  
"erupto, omnem prorsus metum removere  
"debere."

Quodsi hoc principium vel in ejusmodi tantum gradu imminuto efficax redderetur, quo nempe in statu bene constituto prioribus malis remedetur; attamen maximum inde in civitatem redundaret commodum. Quantam enim securitatem, inundatione minante, justo tempore aperti canales, aggeresque bene munito reddunt! Quantopere quaevis prorsus removetur anxietas, quum, annona caritate ingravescente, horrea frumentaria, annonae ubertatis tempore, repleta sunt! Quantam tranquillitatem sentit princeps ille, qui pacis jam tempore magnitudine melioreque disciplina exercituum suorum aemulum superat! Incendiorum autem pericula gravius turbant animum humanum. Metus illis, quorum interest, usum plane totum omnium sensuum semper plerumque adimit, plures homines, vel magna facultatum animi perturbatione, vel vita aegrotante, vel morte ipsa, eripiuntur. Haec magna autem metni damna, num aliunde derivanda sunt, ac ex cujuſvis apperceptione, media non responderet fini? — Quodsi etiam disquiritur in res plerumque igni contrarias, jam a priori emendatio optime dijudicanda est, quum communia media

8

11

media ad extingendum ignem jam ex mixtione  
ipsorum ea praestare non possunt, quae ab  
aliis melioribus finique respondentibus iure ex-  
spectantur.

Primum itaque loquar de causis, quae ad  
exoriendum ignem necessariae sunt, et deinde  
progrediar ed media eum extinguendi.

Quod ad elementa attinet, praecipue ignem, qua talem, jam ab antiquissimis inde temporibus usque ad hodierna, opiniones maxime diversae fuerunt. Eae enim materiae, quae non amplius dissolvi posse putabantur, elementorum principiorumve primorum nomen accipiebant, idque igitur una cum illi adjunctis hypothesibus tam diu retinere debebant, usque dum majore dilucidatione cognitioneque ampliori veterum ita dictorum elementorum, partes adhuc dissimilares detegebantur, earumque separatione, plures materiae cognoscebantur; quae tandem, quia extra fines sensuum positae erant, elementorum nomine demum vere dignae erant. Progressus scientiarum admirandum sane videtur, quando majorum cognitione cum nostra comparatur.

Ita Heraclitus unum tantummodo elemen-  
tum, ignem nimirum adsumit. Aristoteles  
aquam,



aquam, aerem, terram; ignem igitur ens compositum putabat. Recentiores ignem rursum inter elementa recipiebat, et de essentia illius hypotheses proponebant. Ita Becher superioris seculi fine terram inflammabilem adsumvit, tamquam causam possibilitatis flagrandi. Stahl phlogiston nominabat. Kunkel terram viscosam. Lavoisier, cui tam magnas in chemica arte emendationes debemus, has theorias rejectit, et secundum eum quadraginta habemus elementa vel principia prima. Causam possibilitatis flagrandi ponit in gas oxygene; et corpus combustibile secundum eum tale est, quod in certa quadam temperatura facultatem habet  $\tau\alpha$  oxygene  $\tau\alpha$  gas oxygene fortius attrahendi, quam idem a calorico in gas oxygene attrahitur. Hac re gas dissolvitur, et ejusdem antea ligatum caloricum liberatur, eademque re ignem comburentem excitat. Attamen haec theoria probabilius redditur, quando conditio urendi non mere in gas oxygene ponitur, sed phlogisti etiam in auxilium sumitur. Quae ut magis explicem, analysin ligni et phosphori secundum iterata mea experimenta hic proferam, conditiones flagrandi exponam.

Si

<u>Si phosphorum sub campana</u>	<u>acidio phosphorico</u>
<u>phlogisto</u>	<u>oxico</u>
<u>Substratum phosphori</u>	<u>oxico</u>
<u>vitrea aëre spirabili circumdata</u>	
<u>gas azoto</u>	<u>gas oxico</u>
<u>azoto. colorico.</u>	<u>oxico. calorico.</u>
<u>Substratum phlogistn.</u>	
<u>azoti.</u>	

calori ultra gradum trigesimum secundum thermometri Reaumuriani exponitur attractione dupli gas oxicum cum acido phosphoricō sese conjungit, dum phlogiston phosphori cum calorico gas oxici in lumen conjungitur, cum eoque ignem efficit, qui, qua talis, eradiat. Phlogiston phosphori et gas oxicum aëris spirabilis evanescit, et quod restat, acidum phosphoricum et azotum est. Quodlibet granum phosphori tres pollices cubi aërem absorpsit. Sed pondus totius massae aëris spirabilis et phosphori ante processum idem restitut, eantummodo, quae producta sunt, pondus mutarunt. Causa est, quia phlogiston, quod tamquam lumen et calor aufugit, inponderabile est (id quod metalla demonstrant, quae in excandescendo neque leviora neque graviora sunt) et pondus aëris spirabilis, quod aufugit, auctio acidi phosphorici simile est. Auctio phosphori, quando in acidum mutatur, unum et dimidium granum, facit idque aër spirabilis

a pondere amissit. Id quod remansit, gas azotum, non amplius comburi potest, quia ex phlogisto nempe constat, ideoque separationem e corpore combustibili impedit, quia respectu phlogisti eandem cum corpore combustibili materiam habet, corpora autem homogenea non dissolvi possunt.

Omnia corpora combustibilia, prouti hio phosphorus, unam eandemque patiuntur permutationem, hac tantum differentia, quod, quando ex pluribus materiae constant, in has dissolvantur, ut lignum. Quando illud nempe ultra gradum illum, in quo mercurius effervescere incipit; in retorta vitrea aut argillacea circumvoluta calefit, partim in plura genera  
te gas, ut

I. in acidum carbonicum (quod partim educutum, partem productum est, et ex oxyco et substrato carbonei constat).

II. in gas inflammabile gravius (constat ex phlogisto, hydrogenio et substrato carbonei).

III. in acidum pyrolignosorum (constat ex phlogisto, oxyco, hydrogenio et substrato carbonei).

IV.

IV. in Ammoniacum (constat ex hydrogenio,  
azotico et substrato carbonei).

V. in olea rancida (constant ex phlogisto, hy-  
drogenio, oxico et substrato carbonei).

VI. partim in id, quod in igne durabile est  
(carbo) dissolvitur. Hic carbo nempe in  
retorta propter inopiam το gas oxici, vel  
in vehementissimo igne excandescere  
dissolvi non potest.

In pleno aëre autem dissolutio perfecta  
efficitur; priores quinque materiae fumum feri-  
gunt, qui accessu aeris flammam format, car-  
bo penitus dissolvitur, et quod restat cinis est,  
qui facultatem suam in igne perdurandi, a di-  
versis terrae generibus et salibus accipit, quae  
omnia antea in ligno praeexistebant, et unde  
etiam compositus est.

In spatio contra aëris experte, nulla exsi-  
git flagratio; nullus phosphorus, nullum sul-  
phur, nullus pulvis pyrens in spatio campanae  
vitreae aëris experte vel fortissimo speculo cau-  
stico aduri potest.

Ex hac igitur analysi sequitur, conditio-  
nes urendi το gas oxicum, ealoricum et phlo-

gi-

gustum esse, extinctionem autem flagrantis corporis phlogistici, in eo confiare:

I. calorem imminui et

II. aërem spirabilem inde secludi.

Quod ut efficiatur, in extinguedis incendiis aqua adhibetur, quae in corpus ardens jactatur, qua re aëstus diminui et incrustationes aquae aëris spirabilis secludi debet.

Sed experientia prohdolor docet insufficiantiam huiusce methodi: quia

I. Machinae tam magnam et continuam aquae copiam, ad ingens incendium statim refrigerandum atque suffocandum, jactare non valent.

II. Praesertim hanc ab rem, quia aqua incendio aestuante dissolvitur, et gas hydrogenium separatur: quod optimum medium est ignem potius accendendi eunque augendi.

Quod ut explicem, sagittissimum illud experimentum Lavoisieri mihi citandum est, quo ille compositionem aquae demonstrat, quoque ego, insufficiantiam illius ad ignem extinguendum demonstrare possum.

Summa-

Sumatur canaliculus circumvolvulus ex duro vitro, qui in diametro octo circiter aut decem lineas amplius est, collocetur aliquantulum recumbens per fornacem; in medium illius ponantur viginti octo grana carbonum, qui antea in occlusis vasibus excanduerunt, et in pulvrem grandinsculum redacti sunt; glutinetur ad ostium superius canaliculi collum parvae vitreae retortae, quae accurate ad lancem redacta, copia aquae destillatae repleta est, eademque in balneum arenarium ponatur: ostium vero inferius canaliculi vitrei tam firmiter, ut aër intrare non possit in modice parvam lagenam glutinetur e qua alias canaliculus sub infundibulum vanni seu solii in apparatu pneumatico prodit. Aqua in retorta ad coquendum adigatur, canaliculus autem vitreus in eo loco, quo carbonem continet, antea candescat, et lagenam mediocris apte refrigeretur. Prouti igitur vapores aquatici carbones ardentes permeant, in gas hydrogenium mutantur, quod cum aëre atmosphaericō vasorum una in excipulum prodit; reliqua aqua, quae nullam mutationem patitur, colligitur in lagenam mediocre, aër, qui transiit, subtracto atmosphaericō, replet pollices cubi 524 parisinos, quorum 380 e gas hydrogenio constant et 144 e gas carbonio quod lavatione cum aqua calcis, aut lixivia acri, aut aqua frigida inde separari potest.

B

Haec

Haec duo genera oxica<sup>re</sup> gas pondere continent 113 grana, quorum 100 gás carbonicū in et 13 gás hydrogenium sunt. Aqua in lagena mediocri collecta 86 grana continet, id quod minus est, quam quod ad experimentum sumebatur. Carbo dissolutus est et in aliquantulum cineris commutatus. Hoc gas hydrogenium levissimum est omnium generum<sup>re</sup> gas. In statu suo puro atque sicco, inque gradu decimo thermometri Reaumuriani et viginti octo pollicibus barometri, pollex cubi parisiis continet, 0,03539 grana gallica, et unus pes cubi 61, 15 grana. Idem ipsum combustibile est; quando gas cum tribus partibus aëris spirabilis, quoad spatum, miscetur, efflagratio statim per totam massam prodit, et cum forti explosione. Ab aqua hoc gas non absorbetur et etiam non immutatur, neque minus etiam ab acri lixivia.

Inde sequitur, quum carbo in hoc processu eandem mutationem patitur, ac in combustionē in gas oxico, basin etiam gas oxici, quod carbonem in gas carbonicum commutavit, in aqua adeste debere. Et quum in hoc processu 85 grana aquae evanuerint, 100 autem grana gas carbonici et 13 grana gas hydrogenii orta sint: 85 grana illa aquae, quum 100 grana gas carbonici 72 grana gas oxici requirant, ex 72 granis gas oxici et 13 granis substrato hydro-

genii

genii constent necesse est. Quando igitur gas oxicum et gas hydrogenicum, in relatione 7:2 ad 13 quoad pondus, lente sensimue in occlusis vasibus una comburuntur, utrumque aëris genus annihilatur, aqua rursus formatur pura, cuius pondus ponderibus adhibitis utriusque generis 7:2 gas congruum est. In hac combustionē substratum gas hydrogenii in necessaria temperatura substratum oxici rursus attrahit et utrumque in aquam coit; quare materia caloris et lucis libera redditur et sub ignis forma aufugit. Haec synthesis sufficienter demonstrat veritatem analyseos. Quis secundum haec negare poterit, aquam in incendio cum corpore ardente itidem hoc gas hydrogenium formare, quod, qua illud, ignem mirum in modum augere debet. Et profecto phaenomena aeoliplarum haec experimenta confirmant; lumen enim micans a prodeuntibus vaporibus aquaticis rursus in flammarum excitatur, carbones conservantur ardentes, et aestus augetur. Vel faber etiam ferarius eadem ex causa aquam adhibet, ad irrigandos suos carbones ardentes, aestumque augendum. Aqua nempe ex carbonibus ardentibus non qua aqua, sed qua hoc gas hydrogenium, separatur. Quod si igitur aqua, quae ad extinguendum adhiberi deberet, cum ejusmodi in igne perdurantibus corporibus conjungeretur, quae, quum aqua in

vapores abiisset et ab ardente corpore defluxisset, ejusmodi tegumentum in igne perdurans formarent, ut aditus aëris removeretur, ignis que hoc crassiore medio suffocaretur. Nonne aliquando vulgus putabat, ignem sacrum (a fulgere exortum) non alio modo ac lacte extingui posse? Et procul dubio hanc traditionem experientia antecessisset necesse erat, quam etiam quaevis coqua confirmabit, titionem nempe, qui ex aestuatione lactis extinctus est, multo tardius comburi illo, qui aqua extinctus est. Pori nempe lignei aestu extenti, particulos casei lactis, quarum basis maxima ex parte terra calcis est, in se receperunt, et hoc modo aditum aëris impediunt. Lac autem fini non respondet, partim quia copia ejus non abundat, partim, quia nimis rarum est; praesertim autem, quia multo meliora media habemus. Huc pertinent varia salia (exceptis volatilibus) neutralia, metallica et media. Quodsi e. g. ferricum sulphuricum (quod ex acido sulphurico et ferrico constat) in aqua resolvitur, et corpori ardenti injicitur: effectus talis erit. Phlogiston ligni conjungitur cum acido sulphurico et constituit acidum sulphurosum, quod gas quodvis lumen et ignem extinguit et in quo nullum flagrabile corpus comburi potest. Materia in igne perdurans ferrici transfibit in poros ligni a calore extentos, illudque supercrustabit ideo-



ideoque, prout firmiss corpus quam aér hunc secludit, spatum aëris expers formabit, quod rursus non concedit, corpus combustibile in illo flagare; sal mirabile glauberi et alumem et alia huc etiam pertinent.

Commodum salium apertius adhuc redditur in corporibus oleosis, contra quae aqua nullam affinitatem habet, et vim suam irrigatoriam ideoque extinctoriam amittit. In hyeme aqua etiam a gelu statim rigescit, quum contra solutiones salis, multo majorem gradum gelu, ita ut non rigescant, pati possint. Vis salium diversarum extinguendi major aut minor sita est in congruitate acidorum et materiarum in igne perdurantium. Ita e. g. nitrum ignem valde augeret, et vehemens explosio exsisteret; quae ex repentina dissolutione gás carbonei, oxici et hydrogenii explicanda est. (Calculationes enim Ingenhousii docent, unciam nitri, pollices 800 cubi gas oxici proferre, quod gas, ut ex antecedentibus elucescit, maxime praecipuam conditionem urendi efficit). —

Haec hypothesis a viro quodam, Aaken nomine, effectu commonstrata est, quum, incendio exorto, casu humorem quandam adhiberet, qui illi ad aliud usum stabant, quoque adhibito mirum commodum observabat. Plura dein-

de experimenta instituit, quibus in praesentia regis plurimumque aliorum hominum vasa axun-  
giaria brevi tempore extingueret. Ad haec binas observationes adjiciam. Quibusdam in  
locis situlae coriaceae ad extinguendum usitatae  
reperiuntur, quae superne latae et inferne an-  
gustiae sunt. Si ejusmodi situla aqua repleta  
longam manuum seriem permeat, in fine plerumque paene evacuata est. Quodsi autem  
ejusmodi situlae opposita proportio daretur, in-  
ferne nempe lata et superne angusta, et hao-  
re vis centripeta inferius adhibetur, simulque  
vernice vilis pretii aut lacca obducatur, quae  
corenum contra aërem et aquam muniret, tam ex-  
undationi aquae obviam iretur, quam facilitas  
imminueretur damnum plerumque capescendi.  
Fumaria in igne perdurantia multas jam saepius  
ignis eruptions impédierunt, quam utilem in-  
stitutionem parva emendatio perfectiore ad-  
huc reddere posset. — Cura maxime anxia  
non impedit, quo minus fumarii efflagratione,  
toti urbi metus atque horror injiciatur, cui ita  
tam in publicum quam in privatum commo-  
dum caveri posset, ut superne in fumario ca-  
tarracta aut valva adipicaretur, quae incendio  
exorto, vel alio etiam tempore, ad obstruen-  
dum molestum saepe permeatum aëris, catenae  
ope obserari posset: exemplum exhibet valva in  
canaliculo fornacis a vento nomen gerentis. —

Quam-

Quamvis igitur causae incommodorum in  
hoc libello requisitae, una cum emendationi-  
bus illorum, ideam principii in primordio pro-  
positi, de instituto incendia extinguenti bono  
non attingant, quia confluxus variarum rerum  
ut aëris, (geli imber, ventus, aestus) machi-  
narum, tam necessariae disciplinae hominum  
ad extinguendum properantium, vel ipsius ra-  
tionis aedificanti sat impedimentorum oppone-  
re possunt; attamen puto executorem, qua  
directorem ejusmodi instituti, qui luminibus  
pariter ac viribus gaudet, qui semper pergit,  
in incommoda inquirendi eaque emendandi,  
tandem cives quibuscum una degit, de certitu-  
dine illius propositi principii, de eoque, quod  
in effectum transfire possit, convincere, metum-  
que (prouti bonus imperator, nisi vinci potius  
optat, militibus suis certam victoriae spem in-  
spirare conatur) tamquam infirmitatis conscienc-  
iam, instituti emendatione, demere posse at-  
que debere.



Kp 4130

ULB Halle  
003 085 937



3

Sh

v218



KDZ

rebs

MC




13

FE

VLA

ER

B.I.G.



## Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
purple	blue	light green	yellow	orange	magenta	white	grey	black

TYP

FACI  
INCE  
D. HI